S. D. N.
D. PAVLI
PAPAE V.

Montis Viani non vacabilis.

ERECTIO.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ. M. DCVI.



P A V L V S
PAPA QVINTVS.

Motuproprio, &c.



OLENTES Cameræ noſtræ Apoſtolicæ iam diu ob præteritorum temporum conditionem graues impenſas, ac reddituum pignorationes, ſeu diſtractiones pecuniarum inopia laboranti aliquod præbere ſubuentionis auxilium, quo & facilius ſuis creditoribus, quorum ad Nos quotidie querelæ perueniunt ſatisfacere, ac incumbentia expenſarum onera perferre valeat, attendentesq; eandem Cameram iure confiſcationis bonorum quondam Honuphrij Sanctacrucij Domicelli Romani, ſeu alias Caſtra Viani, & Orioli, necnon duo Tenimenta, alterum ſcilicet Caſtri diruti, ſeu Caſalis Roræ, & alterum Caſalis Iſchiæ vulgo nuncupata in Viterbieñ, ſeu alia Diœceſi, & in partibus Tranſtiberinis conſiſtentia per Honufrium prædictum dum viueret poſſeſſa, & ſub certa annua reſponſione ſcutorum nouemmillium, vel circa, & ad certum tempus nunc locata habere, & poſſidere pro opportuna celeriq; ſubuentionis ratione cenſuimus, ſuper eorumdem Caſtrorum, & Tenimentorum fructibus, & prouentibus Montem non vacabilem ſcutorum centum triginta quinque millium monetæ erigere & inſtituere, ex quo illiusq; pretij conſequutione Camera ipſa aliquod, & ſi non ſatis, tamen promptè in ſuis neceſſitatibus ſuſcipiat releuamen. Itaq; Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris deq; Apoſtolicæ nobis attributæ poteſtatis ple-

nitudine Montem non vacabilem, & vt infra redimibilem Viani nuncupañ scutorum centum triginta quinq; millium monetæ iuliorum decem pro scuto, & sic locorum mille tricentorum quinquaginta scutis centum singulis locis computatis in, & super Castrorum, & tenimentorum prædictorum, iuriumq; membrorum, & pertinentiarum eorundem introitibus, redditibus, prouentibus, obuentionibus, & emolumentis certis, & incertis, ordinarijs, & extraordinarijs quibuscumq; cum priuilegijs, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratijs, indultis, & prærogatiuis ad instar aliorum Montium non vacabilium Romanæ Curiæ, quæ hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & registratis haberi volumus, tenore præsentium erigimus, & constituimus, & pro eiusdem Montis congrua dote, & fructibus annua scuta septem millia septingenta sexaginta duo monetæ cum dimidio alterius similis scuti ex eorundem Castrorum, & Tenimentorum, seu bonorum prædictorum fructibus, redditibus, obuentionibus, & emolumentis antedictis integra, liberaq;, & prorsus immunia, & exempta, à die prima Mensis Martij præsentis Anni, Millesimi sexcentesimi sexti dismembramus, diuidimus, & separamus, ac dismembrata, diuisa, & separata dicto Monti, & ijs omnibus, qui pecunias in eo collocauerint, ad rationem scutorum quinque, & baiocchos septuagintaquinque monetæ similis pro quolibet loco, & anno, de bimestri in bimestre in fine inter eos proportionabiliter, & pro rata diuidenda, & distribuenda, & ab eorum singulis liberè, & sine conscientiæ scrupulo, aut alicuius restitutionis onere percipienda, & exigenda ab eadem die constituimus, applicamus, appropriamus, cedimusq; concedimus, & assignamus Montemq; præfatū, & illius loca pro tempore obtinentes, tam vti singulas, quàm vniuersos in omne ius locum, & priuilegium Sedis, & Cameræ Apostolicæ quoad summam prædictam, ac illius integram, ac liberam perceptionem, exactionem, & consecutionem, aliaq; prædicta plenariè ponimus, substituimus, & subrogamus, procuratoresq; irreuocabiles, & Dominos, vt in rem propriam, cum facultate etiam propria auctoritate sequestrañ exigendi, & quietandi, & alijs clausulis, & facultatibus opportunis facimus, constituimus, & deputamus. Porto pro eorundem Montis, & creditorum, seu Montistarum potiori, ac perpetua securitate, & cautela Motu, scientia, & potestate similibus volumus, statuimus, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos eorundem Castrorum, & Tenimentorum fructus, redditus, & prouentus, ipsaq; Castra, & Tenimenta, pro dicto Monte, & illius fructibus, in fauorem Montistarum pro tempore existentium semper, & perpetuò eodem Monte durante fuisse, & esse specialiter, & expresse obligata, & hypothecata, & in, & super illis Montistas, & creditores Montis prædicti cæteris quibuscumq; priores, & potiores semper fore, & esse, nec super illis, annuæq; summæ prædictæ libera consequutione, & exactione à quoquam, etiam prætextu quarumuis, tam realium, quàm personalium obligationum, & hypothecarum, necnon inuestiturarum, concessionum, donationum, legatorum, Fideicommissorum, primogeniturarum, alienandiq;, distraheñ, obligañ, seu aliàs hypothecandi prohibitionum, ac in earum euentum caducitatum, substitutio-

num,

num, deuolutionum, & pactorum de succedendo, tam in contractibus, quàm in vltimis voluntatibus, Codicillis alijsq; dispositionibus purificatis, & purificandis super Castris, & Tenimentis prædictis per quoscumq; dicti quondam Honufrij ascendentes, ac Collaterales, ac penitus extraneos, ac forsan per Romanos Pontifices Prædecessores nostros in fauorem quorumuis, & sub quibusuis clausulis, vinculis, & cautelis, ac alias quomodolibet factorum, emanatorum, & confirmatorum, vel etiam ex eo, quòd in his interesse habentes, seu habere prætendentes, citati, seu uocati, & auditi non sint, aut quouis alio iure, occasione, ratione, vel causa in iudicio, vel extra, molestari, vexari, perturbari, vel impediri, aut Montem prædictum, & illius fructus, & emolumenta moderari, seu ad minorem summam reduci, minusue præsentes nostras literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, aut quouis alio capite notari, vel impugnari, seu in ius, vel controuersiam adduci, minusq; contra eas aliquod iuris, vel facti, seu gratiæ remedium intentari, vel impetrari, intentatumue, & impetratum, seu etiam Motu proprio concessum cuiquam suffragari posse, seu debere, nec Montistas, seu creditores Montis prædicti quoscumq; ad pecunias in dicto Monte, collocatas in vtilitatem, seu commodum, & subuentionum ipsius Cameræ conuersas fuisse, aut alia quantumuis necessaria, & requisita probandum, seu verificandum, minimè teneri, præsentesq; etiam, quòd in eadem Camera admissæ, & registratæ non sint validas, & efficaces existere. Volentes, quòd moderni dictorum Castrorum, & redditunm Conductores in manibus Depositarij dicti Montis quascumq; pecuniarum summas eidem Cameræ nostræ pro dicta locatione, & affictu debitas, & debendas soluere, & consignare absq; alio nostro, & Cameræ decreto, vel mandato, sed harum vigore dumtaxat teneantur, & ad id omnibus iuris, & facti remedijs cogi, & compelli possint, & huiusmodi factas solutiones in eorum computis per Cameram admitti, & acceptari debeant, prout nos ex tunc admittimus, & acceptamus. Et nihilominus quæcunq; mandata, & scripturas necessarias, & opportunas, ad maiorem cautelam pro dictis solutionibus facien per Cameram fieri, & expediri mandamus. In locationibus verò in futurum faciendis eorundem Castrorum, & reddituum, volumus, & statuimus, quod Conductores ad affictum, seu censum in manibus eiusdem Montis Depositarij soluen sese obligent, dictus verò Depositarius in fine cuiuslibet anni quicquid solutis fructibus superetit ipsi Cameræ soluere, & restituere teneatur, & aliter factæ locationes nullius roboris sint, vel momenti. Ac pro præmissis omnibus, & singulis, illorumq; obseruatione, & adimplemento, necnon dicti Montis, & illius fructuum, & emolumentorum assignatorum euictione, & defensione generali, & particulari non solum Castra, & Tenimenta prædicta, & illorum fructus, redditus, & prouentus quoscumq;, sed omnia, & singula ipsius Sedis, & Cameræ bona, introitus, & iura quæcunque in ampliori eiusdem Cameræ Apostolicæ forma, ac generaliter, specialiter, & expresse, ita tamen quòd specialitas generalitati non deroget, nec ècontra obligata, & hypothecata fuisse, & esse, & censeri, prout nos tenore præsentium obligamus, & hypothecamus,

salua

salua, & reseruata Cameræ nostræ prædictæ, & ab ea ius, & causam habentibus Montem prædictum, & illius loca in toto, vel in parte, prout sibi placuerit eodem precio scutorum centum monetæ pro loco quolibet redimendi facultate. Mandantes propterea Dilecto filio Magistro Aloisio Capponio Thesaurario nostro generali, vt eundem Montem, & illius loca quæcumq; in vna, seu pluribus vicibus, & partitis, ac pro precio, & precijs, ac personis reperibilibus, ac sibi beneuisis vendat, & precium redigat, ac ad creditum Cameræ nostræ ad sui dispositionem describi, & retineri faciat iuxta nostram voluntatem, postea erogandum scripturas, mandata, & Instrumenta quæcumq; nostro, & Cameræ Apostolicæ nomine conficiat, & expediat. Volentes, & declarantes, quòd pro primis venditionibus locorum prædictorum gabella proxenetici, videlicet, vnius iulij pro centenario Societati Pietatis carceratorum non soluatur, quem quidem Thesaurarium, & illius pro tempore in officio successorem eiusdem Montis, & Montistarum, & præmissorum Protectorem, Administratorem, & Iudicem, cum facultate literas patentes sub suo nomine, & sigillo expediendi, ac omnia alia, quæ ad vtilitatem Montis prædicti esse cognouerit peragendi. Secretarium verò eiusdem Montis, dilectum filium Io. Iacobum Bulgarinum Cameræ nostræ prædictæ Notarium ad eius vitam, & quoad vixerit in recompensam laborum, quos pro eadem Camera substinuit, & substinet, cum solitis emolumentis facimus, constituimus, & deputamus. Depositarium verò, & Ratiocinatorem eos esse volumus, & declaramus quos idem Thesaurarius in venditione dicti Montis, seu aliàs ad sui libitum duxerit nominañ, seu deputandos sicq; , & non aliter, &c. sublata, &c. iudicari, & diffiniri debere irritum, &c. Non obstantibus præmissis, & quibusuis Testamentis, Codicillis, vltimis voluntatibus, dispositionibus, Fideicommissis, Primogenituris, de non alienañ prohibitioñ, pactis de succedendo obligationibus, hypothecis, & Instrumentis in quorumuis fauorem, vt præfertur, factis, emanaris, seu confirmatis, & quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam de rebus Ecclesiæ, & Cameræ non alienandis, & male alienatis recuperandis, necnon Constitutione Pij Papæ Quarti Prædecessoris nostri de gratijs qualecumq; interesse Cameræ concernentibus in eadem Camera registrandis nostra quoque de iure quæsito non tollendo gratijs ad instar non concedendis, alijsq; Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis quacumq; pendentia litis, seu vitio litigiosi, necnon statutis, & consuetudinibus, decretis, & reformationibus, illorumq; vsibus, & naturis, etiam iuramento roboratis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumq; tenoribus, & formis irritantibusq; , & alijs decretis, etiam Motu pari, &c. etiam Consistorialiter, & præmissa, seu eorum aliqua expresse fieri prohibentibus, vel illa, illorumue executionem, & effectum impedientibus, aut aliàs in contrarium quomodolibet facientibus, & concessis pluriesq; confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, &c. eorumq; tenores, &c. statumq; & merita quarumcunq; litium, & causarum, nominaq; , & cognomina Iudicum, & collitigantium pro plenè, & sufficienter, & ad verbum expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat, ac ad effectum

præsen-

præſentium illis alias in ſuo robore permanſuris ſpecialiter, & expreſſè, ac latiſsimè, Motu ſcientia, ac poteſtate paribus derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumq;. Decernentes etiam præſentis ſolam ſignaturam ſufficere abſq; alia data, & regiſtratura, illiuſq; tranſumpta, etiam impreſſa, & dicti Theſaurarij ſigillo, Secretarijq; ipſius Montis ſubſcriptione munita plenam fidem facere in iudicio, & extra Regula quacumq; contraria non obſtante.

Placet Motu proprio C.

Die tertia Menſis Aprilis 1606. Supradicta Motus proprij Cedula in plena Camera exhibita, & præſentata fuit; quæ poſtmodum die ſeptima eiuſdem Menſis Aprilis ex decreto eiuſdem Cameræ, Referente Reuerendiſsimo D. Iacobo Serra, eiuſdem Reu. Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & Iudice ab eadem Camera ſpecialiter deputato, admiſſa, & regiſtrata extitit per me, &c. in libro ſignaturarum S.D.N. Pauli Papæ Quinti, penes me &c. exiſten. ſub folio 53.

Io. Iacobus Bulgarinus.

